

13. 12. 1781

A. 47. 14.

II k  
2540

IOACH. GE. DE PLOENNIE  
IMPERIALIS CAMERAE DVM VIVERET  
ADSESSORIS  
TRACTATIO IVRIS PVBLICI  
DE  
MINISTERIALIBVS,

Von dem  
Zustand des niedern Adels  
in Deutschland.



EDITIO TERTIA.

IENAE APVD IO. FRIDERICVM RITTERVM  
A. O. R. M DCC XXXX.

IOACH. GE. DE PLONNIES

INTERVALS CAMPAR DVM VIVRETI  
ADDRESSONIS

TRACTATIO IVRS FABRICI

MINISTERIALIBVS

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA

BERGHEIMERSBIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)

Handwritten text at the bottom of the page, possibly bleed-through.





## LECTORI BENEVOLO.

---



VANDOQVIDEM non ex inani pruritu ostentationis ingenii (id quod exiguum esse ingenue fateor) animum ad scribendum appuli, quin, nisi alii, quibus morem gerere mearum utique fuit, semperque erit partium, mandassent, hac Velitatione Academica superfedere maluisssem: ita nullus dubito, me omni quoque calumnia, (quam procul a me fuisse mihi conscius sum) immunem fore, præcipue cum nullam fere lineam sine Historiæ Germanicæ, diplomatum atque insignium Juris publici Doctorum auctoritate ducere

ausus sum; Et si in foro temeritatis expertes illi habentur, qui vel probabilem causæ suæ affingunt colorem, atque hujus vel illius Auctoris sententiam in sui favorem allegant, certe id juris & in me statui, etiam atque etiam rogo, veritatemque testor, me non solum in nullius hominis injuriam quidquam scripsisse, sed &, si quid præter opinionem in pejorem rapi possit partem, id nec scriptum aut dictum esse velle; imo nec citius monebor, errans, quam ego monentem (præsertim si modeste id fiat) sequar, homo enim sum & a me nihil humani (quale & est errare) alienum puto. Ad hæc, eo facilius errori venia dabitur, quo magis nemo non, qui vel labris primoribus Juris Publici fontes gustavit, fatebitur, Thema, quod elegi, difficultatum tricarumque plenum esse, sicut & vox ipsa *Ministerialis* mediæ infimæque Latinitatis barbariem olet; ut taceam, me vereri, ne mihi tempore excluso acciderit, quod est in proverbio:

Ἡ κύων σπένδασα τυφλά τίκτει.

\* \* \* \* \*

B. C. D.

## B. C. D.

## §. I.

**N**ihil frequentius in omnibus Antiquorum monumentis, tum nihil obscurius esse nomine *Ministerialium* non sine ratione quidem asserit Pater Societatis Jesu SCHATEN. *Annal. Paderborn. Lib. IX. ad annum Christi 1187. pag. 881.* In re tamen obscura facem pro virili accendendi periculum facturi, dicemus: *Ministerialem*, Germanice ein Dienst-Mann, definiri, vel saltem describi posse, quod fuerit *servus anomalus seu homo proprius, qui præstitit Principibus, reliquisque Viris Nobilibus, v. gr. Comitibus, & Liberis Dominis, ut & Ecclesiis & Cænobiiis ministeria sive militaria sive Palatina*, conf. hic DV GANGE *Glossar. T. 2. voc. Ministerial. apud Alemannos. &c. p. 556.*

## §. II.

Antequam vero hanc descriptionem articulatim & distincte perscrutemur, operæ pretium erit, rem altius repetere, & originem *Ministerialium* ex Historia Germaniæ antiquæ non minus quam mediæ ævi oculis subijcere.

## §. III.

Perspicuum autem est, constatque inter omnes, quod antiquissimis temporibus Germani servis non in Romanorum morem usi, ipsorum liberti vero non multum supra servos fuerint. TACITVS *de Mor. Germ. c. 25.* Hinc nostros *Ministeriales* (prout hoc nomen inprimis seculo XI. acceperunt HERT. *Dissert. de homin. propr. sect. 4. thes. 2.*) potius Libertorum, seu Libertinorum, quam servorum naturæ accedere probabile videtur, quia Liberti dubio procul ministerii saltem Regii potestate valuerunt CONRING. *Exerc. Academ. 1. §. 16.* Et si homines proprios, quales sunt *Ministeriales*, cum servis Romanis conferas, negari nequit, homines proprios illorum intuitu cum Libertis & ingenuis potius, quam cum servis convenire *Illustr. ab ETBEN Scriptor. pag. 805. b.*

A 3

§. IV.

## §. IV.

Præter *Libertos & Servas* habuerunt Germani etiam *Nobiles*, & *Ingenuos*, prout non inepte ex Tacito colligit modo allegatus HERT. *Volum. 2. Opuscul. part. 1. pag. 49.*

## §. V.

In Nobilium ordinem referebantur Principes & Comites, ab officio *Graven* vel *Nichter* dicti; ad Ingenuorum autem ordinem plebs omnis pertinuit, ita ut sine plebejorum consensu illi, Principes scil. & Comites, nihil magnæ rei constituere potuerint, idemque constat ex iudicandi potestate, qua valuerunt plebeji, neque enim Iudicia tum fuerunt penes solos Nobiles, etsi hi illis præfuerint potissimum, sed & ex parte penes inferiorem illum Ingenuorum ordinem. CONRING *d. Exerc. Acad. 1. §. 16. & 18.*

## §. VI.

Cum hoc antiquissimo Germanicorum quatuor Statuum aut Civium, *Nobilium* scil. *Ingenuorum*, *Libertorum*, & *servorum* ordine congruunt mediæ ætatis tempora, siquidem Saxones, antequam a Francis subjugarentur, etiam quatuor suæ gentis differentias agnoverunt, nimirum *Nobilium*, *Liberorum*, *Libertorum*, *Servorumque*. Et id legibus firmatum, ut nulla pars in copulandis conjugiiis propriæ fortis terminos transferat, sed Nobilis Nobilem ducat uxorem, liber liberam, libertus jungatur libertæ, & servus ancillæ, prout ex Einhardo hæc tradit ADAM. BREMENS. *Histor. Eccles. lib. 1. c. 5. apud Erpold. Lindenbrog. Add. NIT-HARD. L. 4. apud Quercetan. Tom. 2. ubi dicit: quod Saxones in tribus ordinibus divisi consistant; sunt enim inter illos, qui Edhilingi, sunt qui Frilingi, sunt qui Lazzi illorum lingua dicuntur. Latina vero lingua sunt Nobiles, Ingenuales, atque Serviles.*

## §. VII.

Ne autem quis putet hæc tantum in Saxoniam, præolim Germaniæ vastissima, una cum maxima parte superioris

ris & inferioris Saxoniae totam Westphaliam, Jutiam, Frisiamque complectente, COCCII. *Juris Publ. Prud. c. 3. sect. 3.* ita usu venisse, apud reliquos vero Teutones & cum primis Francos, Nobilium & populi unum corpus, illudque a plebe haud distinctum fuisse, uti laudatus & nunquam satis laudandus HERTIVS, *vũv èv àγίσις*, ita quidem statuit, *Volum. 2. Opuscul. part. 1. pag. 312. & 314.* Mallems, Viro Celeberrimo & rerum Germanicarum alias peritissimo, hæc non excidisse, utut enim omnia, quæ d. pag. 314. ratione diversorum ordinum, Clericorum scil. & Laicorum recenset, recte se habeant, conf. hic CONRING. *Exercit. 1. §. 35. & 54.* ex Thegani tamen, quod allegat, opere de Gestis Ludovici Pii nunquam probabitur, Nobiles & Optimates, item Sacerdotes & populum simul uno corpore comprehensos fuisse, sicut hoc cuilibet, cui c. 7. *Thegani apud DV CHESNE Tom. 2. Hist. Francor. Scriptor.* evolvere volupe est, facile patebit; contrarium autem, & eosdem ordines, quos supra in Saxonia obtinuisse diximus, in reliqua etiam Germania viguisse, asserunt optimi commatis Auctores CLUVER. *Germ. Antiqu. c. 15.* ubi pag. 98. dicit: *quatuor differentias Saxonum non modo de hac Natione, sed & de universa Germanorum gente intelligi debere.* Add. COCCII. *Disputat. de Potestate Statuum Imp. circa Dignitates c. 2. §. 1.* & id non absque rationibus.

§. VIII,  
Nam quod 1.) Nobiles atinet, ipse HERTIVS dict. loc. ingenue fatetur, tales apud Francos fuisse, imo Francum se duplo nobiliorem putasse Romano, probat WENDELIN. *Glossar. Satic. verb. Romanus.* Ipsa quoque vox *Adel*, quæ nec dum apud Germanos antiquata est, rem satis declarat SPELMANN. *Glossar. voc. Adelingi pag. 10.* Add. HACHENBERG. *German. Med. Dissert. 2. §. 8.* Sic etiam ab Otrifido Monacho, qui vixit Seculo IX. & volumen Evangelicorum antiquis rhythmis theoticis composuit,

L A M.

LAMBECIUS l. 2. *Bibliothec. Vindobon. c. 5. p. 415.* ita usurpatur, ut cecinerit:

Wanta ex ist Edil Franco,  
Siquidem ille est Nobilis Francus.

Et mox iterum.

So ist derselbe Ediline,  
Ther heizet avur Ludovic.

Talis est ille Nobilis, is vero dicitur Ludovicus.

Confer hic VON STADE *Specim. Lection. Antiqu. Francicar.* ubi pag. 5. in notis ex Palthenio dicit: Inter voces Edil, & Ediline, id esse discrimen, ut illa Rex ipse cum Nobilibus, hac vero Regum Nobiliumque Filii appellantur, quæ tamen, ut fieri solet, præsertim a Poëtis confundantur. Add. PALTHEN. *Animadvers. in Tarian. & Isidor. Francic. voc. Adhal.* pag. 403. Tales vocabantur alias ab Ode, proprietate, Odals, proprietarii Terræ; Nobis vocantur Edelleithe, qui suo nativo sensu nihil ante tempora Caroli M. aliud erant, quam proprietarii Terræ alicujus, vel Provinciæ inhabitatores, atque ideo præcipui & summi; ex quibus proinde Duces, Comites, Gravii, id est Judices, eligebantur. Quod idem hodieque ex antiqua gente Frisica ejusque institutis patet, in ea enim cum coëmta qualibet proprietate fundi coëmitur quasi & transfertur in possessorem seu emtorem jus quodlibet Provinciæ, fitque talis ex Ordinibus unus, item Nobilis ex Terræ illius ratione, & quorumlibet bonorum capax, LEIBNIT. *Collectan. Etymolog. part. 2. p. 289.* add. *part. 1. artic. 3. de Celtic. voc. Eodyl. pag. 117.* Arque sic antiqua vox Germanica Odal per transpositionem litterarum continet vocem Allod, seu Allodium, ita ut Allod, denotet ein altes Guth, ab All seu Allt, (quæ dialectus adhuc hodie in Wetteravia est, sicut synonymum Ol in Westphalia & Inferiori Saxonia) & Od, ein Guth; unde etiam habemus vocabulum Einod, ein einfames Guth, Kleinod, ein kleines Guth, Seod, ein Kriegs-Guth. Dictum autem Allod,



Mod, seu Allodium, olim opponebatur bonis noviter acquisitis seu comparatis, ita ut fuerit bonum Avitum, est altes Stamm & Guth. Conf. hic HERT. *Vol. 2. Opusculor. Tom. 1. pag. 345. it. Vol. 1. p. 491. & 527.* Et ista bona avita seu gentilitia antiquissimo Francorum tempore etiam *Salica* audiunt, quia Illustrium & Principum Virorum fuerunt, qui apud Francos *Salii*, seu Curia publicæ (unde ex eo tempore, quo Francofurtum adhuc Villa Regia erat, Aula ibidem, *der Saal-Hoff*, nomen suum traxit) Proceres vel membra erant, ita ut apud eos *Salica* fere dicerentur, quæ publica, atque adeo prædia quoque Illustrium seu Procerum, *Salica*, feudisque nostris antiquiora esse tradit COCCEI. *Dissertat. d. Renunciat. filiar. Illustr. §. 9. seqq.* Cui junge CHANTEREAU LE FEBVRE *dans le Traité des Fiefs & de leur origine livr. 1. chap. 3. p. 15. & livr. 2. chap. 1. p. 98.* Et tantum de Nobilibus Francis.

## §. IX.

Non solum vero Nobiles, hoc est Duces, Comites, & Dominos (nam & hi antiquo more Nobiles erant, EC-CARD. *Cateches. Theotisc. p. 162.*) habuerunt Franci, sed & 2.) Ingenuos seu liberos, SCHILTER. *Instit. Jur. Publ. l. 1. tit. 6. §. 2.* tempore enim Ludovici Germanici homines distinguebantur in *Ingenuos, Servos, Slavos*; HVND. *Metrop. Salisburg. tom. 2. p. 15.* Imo jam tempore Caroli M. constitutum, ut in majoribus rebus, aut de *statu Ingenuitatis* secundum leges judicari debeat, conf. hic BALVZII *Capitular. Tom. 1. art. 10. p. 197. & p. 259. art. 4. item pag. 1090. art. 288.* CHANTEREAU LE FEBVRE *dans le Traité des fiefs & de leur origine, liv. 3. chap. 4. p. 170. & 171.* Sic etiam tempore Merovingorum Theodoricus, Francorum Rex, anno 720. in diplomate mentionem facit hominum Ingenuorum, æque ac servientium, prout hanc chartam tradit AVB. MIRAEVS *lib. 1. diplomat. Belgicor. c. 6.* Porro Ludovicus Pius in immunitatis privilegio de anno Chr. 815. loquitur tam de ingenuis quam servis MIRAEVS *d. l. c. 9.*

B

Anno

Anno Chr. 844. Lotharius Imp. in diplomate, Ecclesiæ B. Mariæ Aquisgranensis concessio, statuit tam de ingenuis quam servis MIRAEVS *l. 1. donat. Belgic. c. 6. p. 11.* Stephanus Papa in fundatione Abbatia Broniensis in Comitatu Namurcensi de anno 942. disponit de Ingenuis non minus quam servis, MIRAEVS *l. 2. diplom. Belg. c. 20.*

## §. X.

Et ut tandem 3.) de servis etiam quæ ad rhombum faciunt, dicamus, auctus præsertim illorum numerus, cum Franci Alemannos a Mœno fluvio ad Danubium, & montem Vogesum late porrectos, post longa certamina, Clodovæi Regis auspiciis tandem prælio, apud Tolbiacum, Germanice *Zulch*, vel *Zuspich*, in Archiepiscopatu Coloniensi anno salutis 499. commissio, superarent, & jure Victoriam usi, gravissimo servitutis Jugo indomitam gentem subderent. LEHMANN. *Chron. Spir. l. 2. c. 20. it. l. 3. c. 2.* Ex hoc itaque tempore & prælii exitu Auctor Actor. Lindaviens. non obscure *Ministerialium* Alemannia originem deducit in documentis sub lit. W. W. pag. 597. huicque adstipulatur Doctiss. DATT. *de Pac. publ. l. 1. c. 14. n. 112.* Exemplum Clodovæi post imitatus est Carolus M. dum Saxones, Albis ripam accolentes, post bellum triginta tribus annis gestum, ingenti numero in Galliam & Belgium compulit, quos tractu temporis Albanos seu etiam Albinos dictos esse certe verisimile est, (Conf. hic AVB. MIRAEI *Donat. Belg. l. 1. c. 92.* ubi Mechtildis Teneramondæ Domina cum Johanna Flandria Comitissa super servis & Albinis anno 1221. transegit.) Hinc & Jus & nomen Albinagii, *le droit d' Aubeine*, in Gallia non incite quidam derivant HERT. *Vol. 1. Opusculor. Tom. 2. p. 158.* Servos autem nostros anomalos, seu *Ministeriales*, jam Carolingorum tempore non ignotos fuisse, perspicue satis docet LINDENBROG. *Glossar. voc. Ministerialis.* Apud Bavaros quoque, Tassilone Duce mediante, anno Christi 772. de *Nobilibus, Liberis & Servis*, atque cumprimis *Servis Principis*,

*cipis*, qui dicuntur *Udelschälck*, varia constituta sunt, vid. *VELSER. Rer. Boicar. l. 5. p. 162.* Circa seculum denique X, accessit novum genus servorum, qui *Slavi* dicebantur, & per totam fere Europam dispergebantur, ita ut nomen gentis Slavorum fieret servorum, plane ut Romani a devictis gentibus servos suos Syros, Dacos, Getas, &c. cognominabant. *HERT. d. Vol. 1. Opuscul. Tom. 2. pag. 162.*

## §. XI.

Sed ut jam ex diverticulo in viam redeamus, exposita Ministerialium origine, descriptionem, thesi prima traditam, nunc examinabimus, & quidem genus, quod sint servi. In propatulo autem est, conditionem ipsorum valde fuisse adstrictam, etenim 1.) sine permisso Dominorum apud exteros, sive extra regionem, in qua ministeria sua obibant, uxorem sibi quarere non poterant, sic quidem, ut si hic morem gerere detrectarent, liberi ipsorum beneficiis suis privari potuerint. Vid. *Registr. Prumiens. apud LEIBNIT. part. 2. Collectan. Etymolog. pag. 435. & 436. MÜLLERI Reichs-Tags-Theatrum in der ersten Vorstell. c. 6. §. 9. p. 79.* ubi ex Hundio egregium allegat locum,

## §. XII.

2.) Dominis suis debitis obsequiis adherere obstricti erant *HVND. tom. 3. Metrop. Salzburg. p. 83.*

## §. XIII.

3.) Non tantum ipsi dividi poterant, (de quo consule literas Ottonis IV. continentes fines & terminos territorii divisi ex parte fratris Henrici Ducis & Comitis Palatini Rheni de anno 1203. ubi & Ministeriales cum territorio cessi & divisi fuerunt *MADERVS Antiquit. Brunsvic. p. m. 241.*) sed & eorum liberi. Ita eodem seculo Episcopus Ratisbonensis & Dux Bavarix inter se (quamvis minus latine) statuerunt, ut *Ministeriales eorum vicissim nubant, & pueri equaliter dividantur, hoc modo distinguentes, quod primus puer, masculus vel femina patrem sequatur sine divisione, reliquis nihilominus dividendis. Si unum tantum genuerit pue-*

rum, masculum vel feminam, idem patrem sequatur, & nubat post matrem, & ejusdem pueri, quos genuerit, similiter dividantur. Item si Officialis Episcopi, velut Mareſchallus, Dapifer, Camerarius, vel aliter quilibet uxorem de Ministerialibus Ducis duxerit, vel Officialis Ducis e converso Ministerialem Episcopi uxorem duxerit, senior filius, qui patrem sequitur, habeat Patris officium, & si solus sit, nubat in potestatem Domini, cujus erat mater, ita tamen, ut pueri, quos genuerit, dividantur; si vero solus non est, sed plures sunt pueri, ipse nihilominus habeat patris officium cum reliquis pueris secundum quod supra dictum est dividendis. WIGVL. HVND. Tom. 1. Metrop. Salisburg. p. 236. Apud eundem est in libro des Bayerischen Stamm-Baums part. 2. sub rubr. Ortenburg, pag. 28. seq. sicut allegat HERTIVS: In Nomine Sancte Trinitatis, Ego Ludovicus D. G. Comes Rheni & Dux Bavarie omnibus in perpetuum. Multa Calumnia sepius oriri solet, de compactione, nisi literarum bonarum testimonium robur adhibeat, aut firmitas scripturæ. Unde notum fieri petimus, tam futuris quam presentibus, quod nos cum Comite Henrico de Ortenberg sub tali conditione convenimus, ut quicumque Ministerialium nostrorum utriusque sexus cum suis legitime contraxerint, heredes ipsorum pari qualitate sine omni contradictione cum omni Jure hereditario dividantur & sic e converso & ipse nobiscum compegit, pari forma &c. Acta in Langensfeld castro Anno Domini incarnationis MCCXXII. regnante Friderico II. Roman. Imp.

## §. XIV.

Et quemadmodum 4.) explorati Juris est, partum ancillæ matris sequi conditionem, nec statum Patris in hac specie considerari L. 7. C. d. R. V. Ita si pacto non aliter conventum, idem in Ministerialibus obtinet, consule hic KETTNER. Antiquit. Quedlinburg. & quidem Diploma XII. Secul. XII. pag. 185. & 186. Hinc Henrici Marchionis Misiæ filii, ex Elisabetha Maltitia (prout eam novissime indicat PFEFFINGER. in Vitriar. Illustr. Tom. II. L. 1. z. 20. p. m.

p. m. 859.) *Ministeriali* suscepti, non Patris sed Matris suæ conditionem secuti fuissent, nisi Rudolphus I. anno 1278. eos in statum ingenuorum & nobilium collocasset, & charta, quam hac de re tradit WECKEN. in der Beschreibung und Vorstellung der Stadt Dresden, Tit. 1. Lit. L. Documentor. pag. 159. & 160. meretur hic recenseri, & inseri, ita autem ille: *Rudolphus Dei gratia Romanorum Rex, semper Augustus, Univerſis Imperii Romani fidelibus præſentes literas inſpecturis in perpetuum. Dum Sacri Imperii Principum, per quos idem Imperium tanquam baſes egregiæ, ſuſtentatur, in his ſpecialiter, quæ ad ſolam Majeſtatem Regiam pertinent petitiones, & vota benigni favoris applauſu complectimur, Regaliſ Excellentiæ decus attollimus, & eoſdem Principes ad devotionem ipſius Imperii ferventius excitamus. Noverint igitur univerſi, tam poſteri quam præſentes, quod nos puræ fidei ac ſinceriæ devotionis inſignia, quibus Illuſtris Henricus, Marchio Miſnienſis, Princeps noſter dilectus, Nos & Romanum veneratur Imperium, claro noſtræ Majeſtatis intuitu gratioſius intuentes, ac proinde ſuis deſideriis, quæ rationi conveniunt, voto promittitudinis dignum ducentes occurrere, devotiſ ſuis ſupplicationibus inclinati, Eliſabeth Legitimam Thori ſui conſortem, Fridericum Natum Legitimum utriuſque, & uniuerſos liberos, ſi quos ab eiſdem Parentibus procreari contigerit, in futurum NB. ab omni ſervilis ſeu Miniſterialis conditionis reſpectu de plenitudine Regiæ poteſtatis eximimus, & ipſos ingenuitatis ac liberi partus honore & titulo perpetuo inſignimus, volentes, eos ſic ſemper in antea in Ingenuorum & Nobilium ſorte & numero recenseri, NB. ac ſi de ventre libero nati eſſent, ita quod ad ſucceſſionem bonorum feodalium & aliorum quorumlibet pari forma ſicut Ingenui & Nobiles admittantur. Et univerſaliter omnibus Juribus, libertatibus, dignitatibus, honoribus, conditionibus, quibus ingenui a ſacris ſunt legibus & approbatis conſuetudinibus inſigniti, in perpetuum ex donatione Regia gaudeant pleno Jure. Ex præmiſſis itaque præſato Friderico ac cæteris liberis Marchionis prædicti, ſi quos ipſum in antea ex prædicta Eliſabeth procreare*

contigerit, favorabiliter indulgemus, concedimus, & donamus, ut bonis Marchionis, ipsius possessionibus, terris, dignitatibus & certis Juribus quibuscunque, æquo possint & debeant Jure succedere, ac si de partu & ventre libero nati essent; Et ut hæc gratiæ nostræ permissio singularis, quam ex certa scientia fecimus, perpetuæ robur obtineat firmitatis, præsens scriptum exinde conscribi & Majestatis nostræ sigillo jussimus communiri. Datum apud Znoymam ii. Non Januar. Indict. VII. Anno Domini Millesem. CCLXXVIII. Regni vero nostri sexto. Ab hoc autem diplomate toto, ut agunt, cœlo differt illud, quod idem Imperator Rudolphus anno 1273. concessit Nobili Mulieri, Adelheidi, natæ quondam Nobilis Viri, Ulrici de Münzenberg, & nuptæ Nobili Viro Reinhardo, Domino de Hanau, & quod ex Gratia Hanoviensi publici Juris fecit LVNIG. *Spicileg. Ecclesiast. part. 3. c. 5. pag. 548.* plenius vero, una cum sigillis exhibuit Dominus Cranzius, Optimi Parentis optimus Filius *Dissertat. de S. R. G. I. Comitum Austregis. Marburgi 1716. habita.* Dicta enim filia Ulrici de Münzenberg nunquam fuit ex classe *Ministerialium*, sed quia tamen nullius fidei rumor increbuerat, ac si pater ipsius ex ordine *Ministerialium* fuisset, propterea Imperator ad tollendum saltem dubium constituit, notam originis NB. si quæ existit, adimere, filiosque Nobiles & Ingenuos reddere.

## §. XV.

Si conjecturis hic locus est, forsan charta illa de anno 1174. quam ex Monasterii Arnshurgensis Abbatis Kolbii Aquila certante, suppeditat HERTIVS *Volum. 2. Opuscul. Tom. 2. pag. 257. & 258.* & in qua adhuc Cuno de Münzenberg Imperii *Ministerialis* vocatur, falsi rumoris causa fuit; sed quis ignorat Cæsares jam seculo XI. deinceps Ducibus certos Ministros, qui Comites Palatini, imo etiam interdum simpliciter Comites dicti, a latere collocare cœpisse? Hi vice Cæsaris, presidendo Senatui Principali defungebantur, fidem Imperatoris implorantibus aderant, Jusque reddebant, fscum;

*fiscum, Augusti prædia Salica, reditus Regios procurabant, Cæsareum censum exigebant, nihil citra ejus auctoritatem Duci decernere aut statuere licebat, si Reguli (Ducem intelligit) SCrum displicebat, intercedebant ipsi, & ad Cæsarem referebant.* AVENTIN. l. 4. *Annal. Bojor. pag. m. 296.* Ex his Comitibus Palatinis passim in Imperio constitutis (vid. hic FREHER. *Orig. Palat. part. 1. c. 2. p. m. 16.*) unus superest Comitatus Palatinus Rheni, verum omni illo Jure antiquo dudum destitutus, CONRING. *Exerc. 6. §. 89. 90. & 91.* Illud Jus autem, quod Comites Palatini exercuerunt in Principatibus & Comitibus aliorum Procerum, vocabatur *Comitia*, vel *Cometia*, uti ex variis diplomatis, & auctoritatibus hæc probat HERT. *Vol. 2. Opuscul. Tom. 1. p. 432.* Consequenter erat merum nomen officii & dignitatis, quod Imperatores Germani instituerunt, ut alia ei consimilia FREHER. *d. l.* Dum itaque Cuno de Mützenberg, in supra dicta charta non solum vocatur *Nobilis Dominus*, (quod unum certe sufficeret, ut ordine servorum Ministerialium eum exemptum fuisse, nobis persuadere possimus) sed dum etiam porro titulo *Ministerialis Imperii* insignitur, eum Officiale seu Ministrum Cæsaris existisse, & Comitiam Wetterebiæ possedisse, negari nequit, cum primis quod Wetterebia seu Wettereiba jam tempore Carolidarum, & diu post, sub Cattorum Pago comprehensa, HERT. *Vol. 2. Opuscul. Tom. 1. pag. 88.* Cattorum autem terra Ducatui Franconiaë conjuncta fuit, COCCEI. *Fur. publ. prudent. c. 3. sect. 2. §. 24. it. sect. 6. §. 97.* Qui Ducatus procul dubio etiam suos habuit Comites Palatinos seu Ministros Cæsareos. Hoc *Ministerialium* nomine etiam Majores Aulaë, seu Palatii Regii Officiales nuncupari moris erat, de quo videlicet Arrestum, quod sequentibus verbis recenset DV FRESNE *Glossar. voc. Ministerialis pag. 555.* Præterea cum *Pares Franciæ* dicerent, quod *Cancellarius, Bucularius, Camerarius & Constabularius Franciæ* NB. *Ministeriales hospitii Domini Regis, non debebant cum eis interesse, ad facienda Judicia super Pares Fran-*

*Franciae, & dicti NB. Ministeriales hospitii Domini Regis e contrario dicerent, se debere ad usus & consuetudines observatas interesse cum Paribus ad judicandum Pares: judicatum fuit in Curia Domini Regis, quod NB. Ministeriales praedicti de hospitio Regis debent interesse cum Paribus Franciae ad judicandum Pares.* Gemina his de Principibus Electoribus Imperii narrat M. ALBERTVS *Argentini. apud URSTIS. ad annum 1356. pag. 164.* Quod scilicet Carolus IV. venerit ad Civitatem Metensem in adventu Domini, celebrans ibidem Natalem Domini, fuerintque ibi Principes Electores & Officiales, seu NB. *Ministeriales Imperii*, quorum quilibet ministraverit Imperatori sedenti in mensa, in officio seu ministerio suo proprio. Neque Principes suae dignitati indecora illa ministeria, summo Principi exhibenda, censebant & detrectabant, neque etiam ideo servorum instar a Caesaribus habebantur, ut scurriliter Joh. Bodinus nugatur, quando ait: *Les Princes portent les qualitez des Valets domestiques* FREHER. *Orig. Palat. p. 1. c. 15. pag. 107.* Nam & ipsum Caesaris Supremum omnium officium Ludovicus Pius *Ministerium* (cujus & Principes & Status participes essent) gratiosissime appellare voluit, LEHMAN. *Chron. Spir. l. 2. c. 4. p. m. 63.* Hinc etiam Principes his ministeriis Imperatoribus exhibitis non obstantibus, clypeum tertium militarem, quem secundum Spec. Saxon. l. 1. art. 3. §. 1. habebant, semper retinebant. SCHENCKING. *defens. II. Erbmannian. part. 1. p. 277.* Cum e contrario nostri *Ministeriales*, de quibus hic agimus, fuerint Sexti Clypei, vid. Spec. Suv. c. 7. *verb. die Dienstmann den Sechsten.* Hinc porro Ministeriales Imperii, proprie sic vocati, sunt, semperque fuerunt *Nobiles*. Ita Johannes Dominus de Lichtenberg in literis ab Electore Palatino Anno 1391. Civitati Argentinae perscriptis nuncupatur: *des Königs und des Reichs Edler Dienstmann, Doctiss. Dn. BURGERMEISTER im Grafen- und Ritter-Saal part. 2. Sect. 24. p. 184.* Nam Domini de Lichtenberg erant quondam Praefecti seu Advocati



vocati Supremi Argentinenses, quem titulum cum munere adhuc hodie Jure successionis possident Illustrissimi Comites Hanoviae, SPENER. *Oper. Herald. part. Spec. l. 2. c. 41. §. 17.* Ex quibus patescit, vocem *Ministerialis* hoc sensu semper denotare *Ministrum*, sicut & haec duo vocabula apud Germanos nonnunquam synonyma sunt. DV FRESNE voc. *Minister. p. 554.* Sed (ut haec in transitu adhuc moneamus) duo imprimis, ex duobus istis Diplomatibus Rudolphi I. bene notanda sunt, nimirum, quod status Nobilitatis se non usque ad nostros *Ministeriales* cinguli Sexti extenderit, nam alias Marchionis Misniae Henrici pro Coniuge & liberis, Caesaris gratiam & auxilium implorandi labor superfluum fuisset. Deinde & hoc notari meretur, quod Imperator Rudolphus Ingenuitatis & Nobilitatis statum conjunxerit, nam hoc saepius, & partim propterea olim ita factum esse videmus, ut status serviens *Ministerialium* eo magis per oppositionem contrarii exinde cognosci possit. Sic jam anno 881. Carolomannus Rex constituit, ne liberorum hominum NB. *ingenuitas vel Nobilitas* vilescat: consule hic D'ACHERT *Spicileg. Tom. 8. p. 153.* In Charta de anno 1295. apud Hund. *Metrop. Salisburg. Tom. 1. p. 230.* etiam Comites nominantur Ingenui, verb. *Comites, Viri Ingenui alique Nobiles.* Liberi quoque nonnunquam simul dicebantur ingenui. HUND. *d. l. Tom. 2. pag. 385.* Sic etiam Henricus II. in subscriptione diplomatum hac formula uti solebat: *Et ut haec nostrae NB. Ingenuitatis (h. e. Nobilitatis) auctoritas &c.* FREHERVS *Orig. Palat. l. 1. Append. p. m. 36. MIRAEVS l. 2. Donat. Belgic. c. 22. pag. 383.* Atque ita vox *Ingenui* hic non eo libertatis sensu, ut supra *Thef. 6. §. 9.* sed longe Nobiliori accipitur. Pergimus autem telam nostram pertexere vestigiaque status serviens *Ministerialium* Germaniae ulterius profequi, utpote qui

§. XVI.  
5.) Etiam permutari poterant, cujus rei insigne Testimonium praebet Contractus ille permutationis inter Ecclesiam

C

siam

fiam Moguntinam & Quedlinburgensem anno 1155. initus, de quo videatur KETTMERVS *loco supra allegato*. Nec non Instrumentum Transactionis inter Comitem Hollandiæ & Episcopum Trajectinum MATTH. d. Nobilit. c. 23. p. 1074. Imo 6.) obligari quoque poterant, de quo Chartam de anno 1221. producit dictus MATTH. de Nobilit. l. 4. c. 8. p. 945.

## §. XVII.

Poterant porro 7.) cum Comitatus, Dynastiis, arcibus, castris emtione, aliisque titulis transferri. Nam *Ministeriales* erant quasi arcium sive castrorum adscriptitii, & inde nomen trahere solebant. Conf. hic TOLNERI *Codic. Diplom. Palat. & quidem Diplom. 50. p. 44. verb. Ministerialium, qui ad possessiones pertinent &c.* & add. METER. *Origin. & Antiquit. Plessens. part. 1. c. 1. §. 11.* Autor Actor. *Lindaviens. in Document. lit. W. W. pag. 596. §.* Wie dann vor Jahren dergleichen *Ministeriales* von Ihren Herrn Residenzen &c. MÜLLERVS im *Reichs-Tags-Theatr. in der 1. Vorstellung c. 6. §. 9. pag. 79. & 80.* Ludewig Scriptor. *Rer. Bambergens. Tom. 1. pag. 1122. num. 7. verb. simul cum Ministeriali quodam &c.*

## §. XVIII.

8.) Manumittebantur quoque, idque interdum fiebat per Epistolam, quemadmodum anno 699. S. Irmina, Dagoberti I. Francorum Regis filia dedit S. Willibordo, Episcopo Ultrajectino, medietatem Enternaci oppidi, in Ducatu Lutzenburgensi siti, itemque Basilicas a se ibidem ædificatas, cum variis prædiis, *exceptis hominibus, quos per epistolas ingenuos relaxasset* AVB. MIRÆVS *Diplom. Belg. Tom. 2. c. 4. p. 247.* Aliud exemplum adhuc notabilius accidit anno Chr. 906. cum Johannes Tschudi Glaronensis, (ex qua familia Equestri descendit Egidius Tschudi, qui de prisca ac vera Alpina Rhetia olim scripsit. Conf. hic STVMPFFII *Chron. Helvet. pag. 466. a & b.*) sequenti formula a Ludovico IV. Rege Germaniæ manumitteretur: *In Nomine sanctæ & individue Trinitatis, Ludovicus Divina favente gratia Rex.*  
Nove-

Noverint omnes fideles hōstri, presentes scilicet & futuri, quia nos rogatu Furuchardi (forſan Burcardi) dilecti Comitis noſtri, quendam NB. proprium ſervum noſtrum, Johann nominatum, in preſentia fidelium noſtrorum per excuſſionem denarii de manu illius, juxta Legem Salicam, in eleemoſinam noſtram liberum dimiſimus, & ab omni jugo ſervitutis abſolvimus, ejus quoque abſolutionem hoc ſcripto firmavimus, quam in omni tempore firmam, inviolabilemque manſuram eſſe volumus: præcipientes ergo jubemus, ut ſicuti reliqui manumiſſi, qui per hujusmodi titulum abſolutionis a Regibus vel Imperatoribus Francorum noſcuntur eſſe relaxati ingenui, ita deinceps memoratus Johann bene ingenuus atque ſecurus exiſtat. Et ut iſtius ingenuitatis pagina firma ſtabilisque conſiſtat, annulo noſtro eam conſignari juſſimus. GVILLIMANN. de Reb. Helvetior. l. 2. c. 11. p. 239. ubi hunc Johannem cognonime Tſchudi vocari, & celebriſſimæ antiquæ familiæ equeſtris eſſe, aſſerit. Adhuc aliud Manumiſſionis exemplum habemus de anno 1193. cujus tenor hic eſt: Ego R. de Waufen, Dominus Lilerii & Senſchallus Flandriæ, omnibus tam poſteris quam præſentibus notum fieri in perpetuum volo, quod Julianam de frigido Manſo, & Alburgim de Mareſco, & earum progenies, quæ mihi & Succeſſoribus meis jugo ſervitutis obligabantur, Divini Amoris intuitu, & pro animæ & chariſſimæ uxoris meæ Sybilla, & antecęſſorum & Succeſſorum meorum Salute, libere manumiſſi, & eas omnino liberas feci, eiſque tanquam liberis abeundi quocunq; voluerint, & ſeſe quibuſcunq; voluerint Eccleſiis commutandi poteſtatem liberam conceſſi, laudante pariter & concedente dilectiſſima uxore mea Sybilla, concedentibus etiam chariſſimo fratre meo Hellino, & Hildrade & Maroja & Ada Sororibus meis, & R. de Senghin & Forvino, Patris meis, & A. de Maalens & J. de Spimero amicis meis chariſſimis. Ne autem prædictas Julianam & Alburgim, vel earum poſteritatem aliquis, ſub nomine ſervitutis, alia ſupprimere præſuſerit exactione, ego & uxor mea, & omnes præſcripti ſucceſſores mei, eas vel earum progenies, a quibuſcunq; Eccleſiaſticis perſonis

manumittendas & sustinendas esse in sua libertate concessimus, rogantes, ut si quis eam infringere, vel in aliquo minuere attentaverit, Ecclesiastica ad Satisfactionem compellatur distinctione. Quod ut ratum & immutabile in perpetuum permaneat, presentem Tabulam tam sigilli mei appensione quam testium annotatione communivi. AVBERT. MIRAEVS T. 2. Diplom. Belg. c. 55. p. 344. Quartum exemplum manumissionis Hildebrandi & Ludolphi & Uxoris Johannis de Vogel nobiscum ex seculo XIII. communicavit KETTNER. Antiquit. Quedlinb. Sec. XIII. pag. 352. Repeti etiam hic debet diploma supra §. 14. adductum, nihil aliud enim est, quam formalis Epistola manumissionis in favorem Elisabethæ Maltitiæ ejusque liberorum a Rudolpho I. scripta. Hæ autem manumissiones *Ministerialium* etiam in Speculo Saxon. l. 3. art. 80. fundatæ sunt, verb. *Lasset der König oder ein anderer Herr seinen Dienstmann oder seinen eigenen Mann frey, der behält freyer Landsassen Recht.* It. in Latino Exemplari: *Si Rex aut alter Dominus Ministerialem vel Servum faciat liberum, ille Jus obtinet provincialium liberorum.* Et hæc manumissio præcipue tunc necessaria erat, si Scabini in Comitatu obierint, nam hoc casu Rex *Ministerialem* manumittere, & eum Scabinum efficere poterat Specul. Saxon. l. 3. art. 81. Add. COCCEL. *Jur. publ. prudent. c. 15. sect. 3. §. 38.* Licet autem hic artic. loquatur de *Ministeriali* Imperii, *Ministeriales* tamen Principum per hanc phrasin significari ingenue fatetur Vir Status Equestris Monasteriensis SCHENCKING. *Defens. Erbmannian. II. part. 7. p. 288. a.* Atque ex hoc manumissionis more adhuc hodie simulacrum illud passim in Aulis nostris habemus, quod Equestris Ordinis Virorum pueri, data alapa manumittuntur, & gladio donantur. Quanquam hæc consuetudo ex Germaniæ historia antiquissima quodammodo etiam probari possit, ita enim Tacitus de Mor. Germ. c. 13. inquit: *quod apud Germanos primus honor Juventa sit, scutu frameaque a Principe ornari; ante enim domus pars videbantur, sed*

gant

*jam Reipublice.* Interim tamen hi nostri Equestris ordinis pueri bene distinguendi a filiis Optimatum seu Nobilium aetatis mediæ, qui in Aula Regia, & cum filiis Regum educari solebant, de quibus HADRIAN. VALESIUS Tom. 2. *Rer. Francic. L. 15. ad Annum Christi 591. pag. 438.* sequentia tradit: *Cæterum ut intelligatur id, quod diximus, Aredium Adolescentem Nobilem, Theudeberto traditum, & Aulicis Palatinis adjunctum esse, notare convenit, morem jam tum fuisse Proceribus Francorum, adultos liberos, præsertim indolis raræ, formæque & Ingenio excellentes, Regibus ad Ministeria tradere, in Palatio omnibus liberalibus artibus, sed præcipue militaribus, excolendos, quos Gregorius Aulicos Palatinos & pueros Aulicos quidam Scholares appellant. Hinc apud Scriptores morum nostrorum sæpissime inuenio, pueros in Aulam Regiam a Parentibus perductos, Regibus oblatos, traditos, commendatos, in Palatio enutritos, in Aula Regis educatos, a Principe nutritos. Hos Reges nostri Optimatum erga se fidei obsides habebant: his pignoribus Proceres in officio continebant, haud facile libenterque res novas molituros, quamdiu ipsorum filii in Regia alerentur. Sic a teneris Nobilitas Regibus suis adsuescebat: Sic Reges nosse, reuereri, amare & comitari discebat, dominosque suos, a quibus nutriebatur, in Parentum habebat loco, & omnibus disciplinis, Aulicos decentibus, in Palatio imbuebatur. Hæc magnorum virorum rudimenta erant ac incrementa: Hoc piissimorum Abbatum & Sanctorum Antistitum, hoc clarissimorum Ducum seminarium, hæc summi processus, vel una erat via, vel optima. Itaque in Palatio tanquam e ludo plurimi Abbâtes, & Episcopi Sanctitate vite eminentes, Comites stabuli, Thesaurarii, Referendarii, Comites Palatii, Præpositi Pocillatorum, Consilarii, Comites, Duces Patriciique exierunt. Nec aliunde ferme, quam ex puerorum Regia cohorte deligebantur, qui post data Virtutis & fidei experimenta, ad magna & honorata Ministeria, sublimesque potestates proveherentur. Nam ut supra §. 5. & 9. evictum, & infra pluribus evinctetur, Nobilitas tum temporis non alios, quam Principes,*

Duces, Comites, & Liberos Dominos potissimum complectebatur, reliqui erant vel Militares seu *Ministeriales*, & Burgenses, h. e. secundum quid liberi homines in Civitatibus, vel liberi provinciales, freye Land = Sassen. It. die Unter = Freyen, de quibus vid. MÜNSTER. *Cosmogr. l. 3. c. 20.* vel denique servi proprie sic dicti, seu mancipia.

## §. XIX.

9.) Nostri *Ministeriales* raro nomine Domini, vel nunquam nuncupabantur, quia servum & Dominum simul esse, sunt contradictoria, aut secundum Logicos relata & correlata, ita ut posito vel negato servo, necesse sit poni vel negari etiam Dominum, & vice versa posito vel negato Domino, necesse sit, poni vel negari etiam servum. Conf. hic LEHMANN. *Chron. Spir. l. 4. c. 13. p. m. 314. verb.* der Titul Herr seye keinem Edel = Knecht gegeben worden. Add. MÜLLERI *Reichs = Tags = Theatr. d. l. pag. 81.* Huc etiam facit infigne Diploma, quod habet RANGO *Pomeran. Diplom. pag. 213. 214. & 215.*

## §. XX.

10.) Vindicari etiam poterant *Ministeriales*, quia erant in dominio. HERT. *Vol. 1. Opuscul. Tom. 2. pag. 179.* II.) Ipsi alios *Ministeriales* possidere non poterant, vid. hic Spec. *Suev. c. 52. §. 4. verb.* Wer Dienstmann ist, der mag mit Diecht nicht eigene Leuthe haben. Ein jeglicher Mann, der selbst eigen ist, mag nicht eigene Leuthe gehalten, HEIDER. *Act. Lindav. in Docum. lit. W. W. pag. 592.*

## §. XXI.

Quod autem in definitione porro diximus, *Ministeriales* fuisse *servos anomalos*, id exinde probatur, quia utur non plane sui juris fuerint, non tamen servitus illa, quam patiebantur, erat privata & Juris Romani, sed potius majore ex parte publica, & apud Nobiles Reipublicæ Germanicæ, hinc etiam rerum suarum libero arbitrio gaudebant, ita ut Henricus IV. anno 1062. rescripserit, quod *servientes eorumque heredes tali jure uti debeant, quale de consuetudine habent,*

*habent, uniuersa bona sua vendendi, commutandi &c. GOLDAST. Tom. 3. Constitut. pag. 313. Si quis quoque Ministerialium ad Regnum Teutonicum vel Ducatum Bavaricum pertinens, prædium suum in Eleemosynam dare voluerit, Conradus Romanorum Rex anno 1142. id indulgit. Vid. Chron. Reicherspergens. apud LVDEWIG Scriptor. Rer. Bambergens. Tom. 2. pag. 253. Insuper legitimam personam standi in Iudicio, & liberos quodammodo etiam in potestate habebant; testes præterea esse poterant & hinc multa diplomata, uti constat, signabant. Etiam mancipia habere poterant, uti hoc videre est ex Instrumento transactionis de anno 1333. quod affert PAVLLIN. histor. secular. Virgin. Colleg. Visbecens. p. 88. & 89. verb. una cum Litonibus & mancipiis &c. add. WENCKER. Disquisit. II. de Usburger. p. 12. & 18. Et erant utique serui & famuli honestiores, & ab aliis distincti. SPELMAN. Glossar. voc. Ministerialis. Nostra itaque sententia eos apposite vocavimus servos anomalos, semperque nobis arriserunt verba, quæ in simili fere casu, de veteri statu hominum Ecclesiæ protulit JCTus Germaniæ sua ætate facile Princeps UDALRIC. ZASIVS Lib. 2. Consil. 19. n. 3. 4. & 5. ubi eleganter dicit: quod dicti homines Ecclesiæ habeant quiddam commune cum liberis, ut sic possit dici anomala Servitus, accedens libertati, nihilominus tamen cum servitute participans &c.*

## §. XXII.

Reliquum est, ut ostendamus, quod Principibus, Comitibus & Liberis Dominis, nec non Ecclesiis & Coenobiis a servitiis fuerint. De prioribus tribus Nobilitatis ordinibus nemo, opinor, dubitabit, cum in censello sit, quod hi potissimum, licet ordine distincti, soli sint illi, qui olim unice & proprie fuerunt Nobiles. Nam ita 1.) Principes passim appellantur *Nobiles*, ex. gr. Imperator ipse in L. 3. ff. d. Natal. restituend. *Nobilissimus* dicitur. Et in literis de anno 1328. Imperator Henricus audit: *der Edle Herr Kaysar Henrich*, vid. Autor. der Lindauischen Ausführung. in  
Docum.

Docum. sub lit. jfff. a. pag. 668. Electores etiam Nobiles dicebantur. Sic in historia Adolphi Nassovici memorantur sequentia: ac si negligentius se gerens ad Principes, qui Eum in culmen tanti honoris evexerant, consilia eorum postponens, & militaris ordinis homines eis praeponens, in odium eorum incurrerit. Unde Gerhardus Moguntinus & NB. caeteri Nobiles superiorum partium, indignatione commoti, Ducem Austriae Albertum &c. evocaverunt. Vid. Magn. Chron. Belg. apud PISTOR. pag. 271. Praeterea in Actis Concilii Constantiensis sess. XV. sive Tom. 7. Concil. Edit. Paris. a Carolo Morello excus. referitur: quod Sabbathi die sexta mensis Julii fuerit sessio generalis Concilii loco & hora consuetis, in quo fuerit Romanorum & Hungarorum Rex cum NB. Nobilibus suis, sibi in Insignis Regalibus servientibus, Ludovico Comite Palatino Rheni &c. WAGENSEIL. de Summ. Imp. Official. c. 12. §. 5. p. 188. Sic etiam reliqui nostri Principes Imperii passim vocantur Nobiles, ex. gr. anno 1074. Leopoldus dicitur Nobilis Margrafius Austriae HVNDIVS Tom. 2. Metrop. Salisburg. p. 530. Agneta Nobilis Ducissa Bavariae. HVNDIVS Tom. 3. pag. 446. Otto, Ludovicus, & Stephanus Duces Bavariae appellantur Viri Nobiles. HVNDIVS d. l. p. 418. Anno 1095. Ida, Gothofredi Ducis Lotharingiae filia vocatur genere Nobilis. MIRAEVS Lib. I. Donat. Belg. c. 30. pag. 70. Anno 1216. Oda, Ducissa Brunsvicensis dicitur German. Edel, & in latino idiomate Prenobilis. LEVCKFELD. Antiquit. Gandersheim. c. 29. pag. 358. in fin. & c. 30. p. 411. Anno 1266. Dux Brunsvicensis nuncupatur Nobilis in diplom. apud LAMBECIVM l. 2. Rer. Hamburg. p. 61. Anno 1320. Comes Johannes de Nassau compellat Ducem Leopoldum Austriae titulo eines Edlen Herren. TOLNER. Codic. Diplom. Hist. Palat. affix. p. 84. diplom. 124. Anno 1333. Johannes Dux Lotharingiae audit Nobilis Princeps. AVB. MIRAEVS l. 1. Diplom. Belg. c. 39. pag. 207. in fin. Sed quid de Comitibus Imperii immediatis dicemus? Certe aequae ac Principes in Germania pro Nobilibus semper habiti, & eodem cum istis Nobilitatis genere,



nere, gradu tamen dispares, comprehensi fuerunt, medio inter Principes ac Barones loco, prout quoque in Anglia, Germanorum quasi colonia, Duces, Marchiones, Comites, Vice-Comites & Barones inter Nobiles recententur, & *ναὴ ἔξοχὴν ipsa Nobilitas* vocantur. Beat. Dn. Affess. AB ETBEN. *Tractat. de Tit. Nobil.* §. 7. Ipsorum feuda cum Principum feudis Germanice dicuntur a vexillis *Fahnen-Lehen*. Vexilla autem semper fuerunt symbola superioris Magistratus, & Domini STRUV. *Syntagm. jur. feudal. c. 3. §. 7. n. 11. p. 100.* add. HEINECC. *de Sigill. p. 1. cap. 10. §. 28.* Insuper antiquissima Sigilla referebant, uti Principum, ita & Comitum imagines vel sellæ insidentes, in judiciariæ potestatis signum, vel thoracatas, manu alterutra plerumque sive sceptrum præferentes, sive scutum, sive gladium strictum, sive vexillum HEINECC. *de Sigill. part. 1. c. 10. §. 16.* add. OLIV. HREDII *Sigill. Comit. Flandr. pag. 6. 7. 8. 9. seqq.* Adhuc hodie quoque in Principum classe suffragia sua in Comitibus ferunt, cum Principibus matrimonia contrahunt, & ex ipsorum Gente provenerunt diversi Imperatores: *Rudolphus* Habsburgicus, *Adolphus* Nassovicus, (cujus vitam aliquando justo Tractatu, Deo volente, scripturi & edituri sumus) *Henricus VII.* Lützenburgicus, *Güntherus* Suartzenburgicus, & alii. Hinc Comites olim erant, & adhuc sunt Regum Principumque Consanguinei, atque ita etiam in Regum Principumque Curiis hodierno die appellantur. Rebus autem sic stantibus, invenire hætenus non potuimus, quid Celeberrimum Dn. COCCEIVM *Jurisprud. publ. c. 15. sect. 1. pag. 263.* ut & Doctissimum Dn. STRUVIVM *Histor. Jur. c. 9. §. 22.* eo induxerit, ut statuerint, Comites olim tantum Jurisdictione aliqua simplici, mit *Zwing und Bann*, investitos fuisse; Quemadmodum autem in hunc finem allegant c. 9. *Reformationis Sigismundi secularis*, quæ extat apud *Goldastum* in *denen Reichs-Satzungen* Tom. 2. pag. 132. It. in ejusd. *Statut. & Rescript. Imp. Cl. 1. p. 190.* Ita cuivis, qui vel fugitivo oculo dictum *Caput 9.* perlustrare voluerit, clari-

D

risfi-

rissime patebit, Imperatoris mentem solummodo fuisse, ut Comitum, aliorumque tum temporis tenacem animum retinendæ adhuc in terris suis servitutis, eo magis exprobraret, quod Jus Cæsareum (quo nomine intelligit *Speculum Suevicum*, utpote quod vocatur *Käyserl. und Königl. Land- und Lehen-Recht*, vid. *Goldast. Tom. 1. der Reichs-Satzungen pag. 31.*) omnem servitutem inter Christianos tollit & prohibet, conf. laudatum *Specul. Suev. c. 52. §. 14.* Hinc etiam Imperator porro dicit, quod Principes hac in parte paulo accuratius, quam Comites, in suis territoriis modo citatum Jus Cæsareum observaverint, verb. noch fast *Käyserl. Recht zu Ihrem Theil halten.* Neutiquam ergo Sigismundus Jurisdictionem, seu *Zwang und Bann*, solis Comitibus &c. tribuere, sed unice prætentum abusum Jurisdictionis improbare voluit. Propterea d. c. 9. *primo* circa Rubrum, & *secundo* in contextu ipso §. 1. *ab initio* prorsus indefinite agit von *Zwing und Bann*, atque sine ulla restrictione ad Comites; & dum deinde *tertio* §. 1. in verbis: *die auch Zwing und Bann haben*, particula Relativa *auch* usurpatur, idcirco necessario *Zwing und Bann* ad verba quoque antecedentia, sicque, ni fallimur, tam ad alios, quam ad Comites pertinere videntur. Mirum etiam est, quod cum primis Celeberrimus *Coccejus*, Præceptor quondam noster, cum adhuc Heydelbergæ Jura summo cum applausu doceret, honoratissimus, verba Reformationis Sigismundi non eo modo, uti se habent, sed plane inverso, & fere detorto sensu allegare voluerit, nunquam enim Imperator hoc dixit: *Hohe Fürsten haben (loco halten) fast Käyserl. Rechten zu Ihrem Theil, aber Grafen, Freyen ic. Zwing und Bann.* Multi etiam Comites antiquis temporibus usi sunt titulo: *Von Gottes Gnaden*, conf. hic *HERT. Vol. 1. Opusculor. tom. 2. pag. 356.* ubi diversa exhibet exempla. Ex sexcentis quoque Chartis probari posset, quod Comites semper quondam titulo Nobilis insigniti fuerint, brevitatis autem studio remittimus Lectorem ad *PFEFFINGER. Vi-*  
*riar.*

*eriar. Illustr. Tom. 2. l. 1. tit. 20. pag. 858. seqq. STRUV. Histor. Jur. c. 8. p. 704.* Ut & Deductionem Juris in Causa Nassau-Hadamar contra Nassau-Weilburg ex speciali mandato Illustrissimi Comitis Nassovia anno 1711. typis vulgatam p. 24. Et quod per *Nobiles* nunquam intelligantur qui sunt Equestri Ordinis, sed medio imprimis ævo *Principes, Comites & Barones*, & quod his militares conferri non possint, nec se illis collaturi sint, id distinctis & perspicuis verbis asserunt *Erbmanni* Monasterienses, Equestrem tandem plenariam dignitatem post tot non sine magnis impensis exantlatos labores quiete possidentes, apud SCHENCKING. *defens. II. Erbmannian. part. 1. pag. 273. a.* Licet in eo adhuc erraverit allegatus SCHENCKING, quod *Militares* seu *Ministeriales* nihilominus simul *Nobiles* vocaverit, sed in hoc seculi nostri morem sequi, non vero de antiquis Germaniæ temporibus loqui videtur. Et hic titulus *Nobilis* adeo in honore fuit, ut & interdum titulo *bene natus, Wohlgebohrn*, pramissus fuerit. Sic anno 1395. Hugo Comes de Montfort nominatur: *Der Edle, Wohlgebohrne Graf.* vid. *Acta Lindav. in docum. lit. Eeeee. pag. 783.* Anno 1496. *Johannes* Comes *Holfatia & Schaumburgi* dicitur, *der Edle und Wohlgebohrne.* vid. *Synops. der Ohnmittelbarkeit der Herrschaft Gehmen in den Beylagen pag. 84. it. p. 86. 104.* Item *Corda* (forsan *Concordia*) filia ex *Nobili* familia *Baronum* seu *liberorum Dominorum de Gehmen*, vocatur anno 1476. *die Edle und Wohlgebohrne Frau Corda, &c.* vid. d. *Synops. p. 105.* Similiter *Hemicus* Comes de Nassau dicitur adhuc anno 1506. *der Edle und Wohlgebohrne d.* *Synops. pag. 106.* Nec non anno 1536. *Adolphus* Comes *Holfatia* eodem honoris titulo insignitur vid. sapius laudat. *Synops. pag. 114. & 115.* Sic porro legitur apud HVND. *Tom. 2. Metrop. Salzburg. p. 457.*

Die Edle Herren Wohlgebohren  
 Zu Kirchberg Grafen auserköhren.  
 Item d. *Tom. 2. pag. 458. & 459.* in alio antiquo rhythmo Germanico canitur: D 2 Die

Die Stifter hier der Edel Stamm,  
 Von Kirchberg Grafen lobesam,  
 Darvon viel mancher NB. Edelmann.

Ut & Tom. 3. pag. 415. der Edel, Wohlgebohrne Graf Berger von Leonperg. Quod denique *liberos Dominos*, quibus *Ministeriales* non minus, ac reliquis jam in scenam productis Nobilibus, servierunt, attinet, sciendum est, quod tres sint liberorum species SCHENCKING. *defens.* 2. *Erbmannian.* part. 1. pag. 284. a. 1.) species comprehendit Principes, Comites, & *liberos Dominos*, vel Barones, Germanice die Hoch-Freyen, Item die Hoch-Mann, die Semper-Freyen. vid. STRUV. *Histor. Jur. c. 8. §. 13.* add. GOLDAST. *Reichs-Satzungen part. 2. p. m. 17.* ibidemque *Recessum Imp. de anno 1236. c. 1. §. 6. verb.* Er sey Fürst oder NB. anderst ein Hochmann. nec non cap. 24. *verb.* ohne Fürsten und andere Hochleuthe. 2.) species complectitur Medios *liberos* seu *Medioxumos*, die Mittel-Freyen; 3.) vero species, omnes nativitate *liberos*, qui dicebantur *liberæ conditionis*, sed non *Nobiles*. DV FRESNE *Glossar. tom. 2. voc. Liberi pag. 278.* *verb.* qui *liberi quidem essent, sed non Nobiles.* LVNIG. *Spicileg. Ecclesiast. part. III. pag. 543.* SPANGENBERG. in der Hennebergischen *Chron. p. 87.* Illis autem solis *liberis Ministeriales* servitia sua præstabant, qui erant *Nobiles*, hoc est, *liberi Domini & medioxumi*; Et *liberi Domini* fuerunt, qui certas *Dynastias* Jure possederunt plane *libero*, & nullius Juri erant *obnoxii*: In eo a Comitibus distincti, quod hi *Ministri* fuerunt *publici* STRUV. *Histor. Jur. c. 8. §. II. p. 701. & 702.* Horum itaque *liberorum Dominorum* conditio erat *liberrima* PREGIZER. im Deutschen Negier- und Ehren-Spiegel in præfat. p. 1. BVRGERMEISTER. *Stat. Equestr. c. 23. pag. 312. & 313.* Ita quidem, ut ipsi *Comites immediati* maluerint *nuncupari Domini Liberi*, quam *Comites* SCHILTER. *Cod. Jur. Aleman. Feudal. ad cap. 1. §. 13. pag. 31.* *Medioxumi* autem, die *Mittel-Freyen*, prædia *libera* possidebant, & *allodialia*, nullis *Ministeriis* subjecta; Dicitur etiam *Nobiles*, & *liberi homi-*

hominas. STRVV. *d. l.* Et exinde originem Ordinis Baronum in Imperio derivari posse sibi persuasit B. HERT. *Vol. 1. Opuscul. Tom. 2. pag. 182. in fin.* Sed quidquid sit, hoc negari non potest, quod is, qui de feudo Regali, Ducatu, Marchionatu, Comitatu, & Baronia seu Dynastia investitus, eoque Dux, Marchio, Comes, Baro factus fuerit, indubie sit de vera Nobilitate Imperii COCCEI. *d. potest. Stat. Imp. circa dignit. c. 2. §. 13.* Feudum enim Regale est feudum Nobile cum dignitate Regali, potestate & Imperio, seu Jure exercendi Regalia STRYCK. *Exam. Jur. Feudal. c. 3. quest. 31.* DVAREN. *in Consuet. Feudor. p. m. 1498.* Hinc etiam est, quod Principes, Comites, & diversi Barones immediati Imperii, sint Status, & passim in Diplomatis & Chartis antiquis vocentur Domini terræ, Majores terræ, Magnates terræ, Nobiles & terræ Optimates, Principes & Nobiles terræ, Comites & Nobiles terræ, item Barones terræ, Barones simpliciter, Optimates & Principes terræ, nec non meliores terræ Barones, Principes & Barones Germaniæ, Clerici & Laici, prout omnes has formulas habet STRVV. *Histor. Jur. c. 8. §. 12.* LVDEWIG. *Scriptor. Bamberg. Tom. 1. p. 636.* Spicilegium Dacherianum *Tom. 3. pag. 341. Tom. 8. p. 694. it. p. 413. & Tom. 9. p. 434.* MARTENE. *Collection. nov. veter. Scriptor. pag. 168.* HVND. *Tom. 1. Metrop. Salisburg. pag. 233. it. Tom. 2. p. 30.* AVB. MIRAEVS *Tom. 1. Diplom. Belg. c. 69.* LEIBNIT. *Mantiss. part. 2. Cod. Diplom. LEVCKFELD. Antiquit. Blanckenburg. pag. 53.* Hi Optimates & Barones etiam semper accuratissime distinguuntur in Historia Germaniæ, in Diplomatum, & Bullis, a Ministerialibus, ita ut vel nomine *Nobilium*, vel etiam *Liberorum*, a Servientibus separati fuerint, sicut, si opus esset, fere infinita hujus rei exempla proferri possent; Sufficit autem hic allegare Constitutiones & Bullas Papales. Nam Pontifices Rerum Germanicarum, & totius Orbis fere scientissimi, *Nobilis* vocabulo cum Ducibus Comites quoque & Barones complecti, hosque a militaris ordinis hominibus di-

scernere non dubitarunt. Sic Bonifacius VIII. in privilegio de recipiendis Canonicis Ecclesiæ Halberstadiensis concessio, statuit: ut aut NB. de *Nobili*, (hoc est, Ducum, Principum, Comitum vel Baronum; uti in ipsis statutis Halberstadiensibus deinceps exponitur) vel ad minus de NB. *Militari genere* ex utroque Parente procreatus, vel saltem in S. Theologia professor, aut in Jure Canonico vel Civili Licentiatu & Doctor existat &c. Sic quoque Eugenius Pontifex anno 1446. similiter mandavit, ut Canonici vel de *Nobili*, vel ad minus de *Militari* genere esse debeant. Illustr. ab ETBEN *tractat. de tit. Nobil. §. 7. p. m. ii.* Ita & Canonici Monasterienses Bonifacio IX. exposuerunt, quod in Ecclesia Monasteriensi ut plurimum recipi consueverunt personæ *Nobiles* NB. de Principibus & Comitibus vel saltem *Militaribus* procreatæ, per quas bona & Jura temporalia Ecclesiæ Monasteriensis verisimiliter defendi possint. Quare statuerunt, ut nullus deinceps recipiatur, nisi NB. de *Nobili*, vel NB. saltem ex utroque parente de *Militari* genere, ac de legitimo Matrimonio natus fuerit. SCHENCKING. *defens. ii. Erbmannian. pag. 269.* Hinc etiam Erbmanni Monasterienses non solum jam ante centum & plures annos (quia erant Milites) Romæ in quæstione Status ipsis a Capitulo Monasteriensi formata, plenissime vicerunt, causam illorum non minus, quam suammet propriam doctissime ibidem tum temporis agente Schenckingio, sed & denuo ante aliquot annos in Camera Imperiali Wetzlaræ victoriam justissime reportaverunt. Atque hæc insignis prærogativa, quod sc. soli Electores, Principes Comites &c. characterè *Virorum Nobilium*, Ministeriales vero *Militum* titulo, Curia Romano stylo insigniti fuerint, & adhuc hodie insigniantur, variis exemplis probatur a PFEFFINGER. *ad Vitriar. Tom. 2. l. i. tit. 20. p. 863. 864. & 865.* Ne autem ἀσύβολοι simus, nos eos quoque Auctores, qui Nobilitatis Epitheta (quibus Pontifices Comitum & liberorum Dominorum ordinem ornavunt, & quæ nobis separatis temporibus

ribus libros Historicos legentibus occurrerunt) in scriptis suis annotavere, brevissime hic addemus, nempe: Spicileg. Dacherian. Tom. 3. pag. 172. 173. 174. & seqq. it. p. 461. 475. 477. 481. 492. 496. 597. 599. it. Tom. XI. p. 388. MARTEN. Collect. Nov. Script. Vet. p. 168. LVDEWIG. Scriptor. Rer. Bambergens. Tom. 2. pag. 483. KETTNER. Historie des Stiffts Quedlinburg, in den Beylagen pag. 32. & 33. Ejusdem Antiquit. Quedlinburg. pag. 221. 244. & 539. Add. INNOCENT. III. Epistol. ex Edit. Baluzii Tom. 1. l. 1. p. 215. & l. 2. p. 456. AVB. MIRAEVS. lib. 1. Diplom. Belg. pag. 232. ubi Pontifex Pius II. (ex Epistolis, quas Aeneas Sylvii & proprio nomine scripsit, satis celebris) Philippum Ducem Burgundiæ & Carolum Comitem de Charlois appellat *Viros Nobiles*. Ita idem PIVS II. cum Johannem Comitem Nassoviæ anno 1461. certiozem redderet, quod ipsius consanguineus, Adolphus, in causa sua contra Dietherum Ifenburgicum ratione Archiepiscopatus Moguntini Romæ victoriam obtinuerit, illum in Literis nominat: *Virum Nobilem*, ut & *Nobilitatem* tuam. Cæterum Barones quoque seu Liberos Dominos, uti dictum, a Pontificibus *Nobiles* vocari, nemo inficias ibit. Ita Gregorius Papa appellavit Baronem Henricum *Truschel Nobilem Virum*. HVND. *Metrop. Salisburg. part. 3. pag. 420.* Porro Innocentius VIII. compellavit Sigismundum Baronem de *Frauberg Nobilem Virum* HVND. *d. l. p. 220.* E contrario Gregorius IX. anno 1235. militare virum, Gregorium de *Monte*, simplici saltem nomine *Militis* appellavit. AVB. MIR. *l. 1. Donat. Belg. c. 100. p. 208.* Ne vero animum subeat cogitatio, ac si meros & inanes titulos hic crepemus, repeti debet, quod supra monuimus, Nobilitatem scilicet Germaniæ non alios, nisi Principes, Comites, & Dominos comprehendisse, consequenter certum gradum, seu peculiarem statum & speciem potius designavisse characterem *Nobilis*, quam honorarium aliquem, & nudum titulum, facitque, quod nomini cognominique in Chartis postpositus reperia-  
tur, cum honorifici isti Tituli consueverint præponi. Conf.  
hic

hic Illustr. ab ETBEN. *Elect. Jur. Feudal. c. 9. §. 12.* Et hæc veritati adeo consona sunt, ut quod Jul. Cæsar de Germanis tradit: *Nullum communem ipsis esse Magistratum, sed NB. Principes Regionum atque pagorum inter suos Jus dicere;* Item Tacitus: *eisdem Principes Jura per pagos vicisque reddere,* id quoque de ætate media prædicari possit, & quod hi antiqui Germani Principes dignitate generis ac muneris sint iidem, qui & postea Barones & Nobiles vocati, vid. hic insignem Chartam de anno 872. apud PAVLIN. *Histor. Virgin. Colleg. Wisbec. p. 18. §. 17. p. 21.* GROT. *d. Antiquit. Reip. Batav. c. 2. p. m. 12.* Cui junge CONRING. *Exerc. 4. §. 6.* Item SCHILTER. *d. prærogat. Com. Imp. §. 7. p. 9.* MEINDERS *d. Stat. Religionis §. Reip. sub Carolo M. p. 88.* PFEFFINGER. *ad Vitriar. Tom. 2. l. 1. t. 20. p. 852. a. in fin.*

## §. XXIII.

Horum statu Nobilium tunc temporis servi honestiores erant Ministeriales, secundum quid liberi, & tamen etiam aliqua capitis diminutione affecti. Propterea vocabantur *Udelschälck, Edelknecht, Servi Nobiles, item Servi Principis, Varschälck, Baronum Servi.* MATTH. *d. Nobilit. c. 6. p. 938.* Et ne quis imaginetur, quod tum Ministeriales appellantur *Nobiles Servi,* seu *Edel-Knecht,* eo ipso Nobilitatis qualitas ipsis plena manu concedatur, notandum est, Nobilem Servum nihil aliud esse, & significare, quam *Nobilis (Viri) Servum;* item Germanicum *Edel-Knecht,* denotat eum *Edlen Knecht,* atque hæc interpretatio non ex nostro demum cerebro nata, sed jam ab aliis Doctioribus asserata est, etenim *Reimer. Reineccius von des Udels Herkommen,* testatur: *daß die Edle Knechte diesen Nahmen daher bekommen, daß sie den Herrn, h. e. Nobilibus, im Krieg u. mit Dienst verpflichtet gewesen.* Eandem interpretationem etiam calculo suo approbat Illustr. ab ETBEN. *Elect. Jur. Feud. c. 9. §. 13.* ubi notanter inquit: *hanc significationem res ipsa admittit, nisi contradictionem in adjecto facere, & contraria miscere velimus, non secus ac si dicerem: Ein hölzern Reiß-Eissen, s*  
*enum*



enim *Bnechte sunt, i. e. non Nobiles, seu Nobilibus contradistincti, non possunt esse simul Edel, Nobiles.* Sic parem fere loquendi modum habet ipsa S. Scriptura Joh. 4. ubi dicitur: *καὶ ἦν τις βασιλικός, & erat quidam Regius seu Regalis, ubi non intelligitur aliquis Regio stemmate genitus, sed potius servus, seu Minister, h. e. Es war ein königlicher Diener, sive ut Lutherus reddidit: Es war ein königlicher, sc. Bedienter.* Ita enim hæc verba explicat Erasmus Paraphr. in dict. cap. 4. Joh. ubi dicit: quod hic homo profanum aliquem Magistratum Cæsaris nomine gesserit. Idcirco etiam Albertus Cranzius jam suo tempore agnovit, quod Ministeriales non fuerint Nobiles, atque proinde l. 3. *Metrop. c. 11.* in hæc indignationis plena erumpit verba: *Vidit Episcopus Hildesien- sis Magnificum Henrici Regis animum ad componendam provinciam in moribus & ordine, & exercitio militari. Ministeriales suos, qui, NB. soli volunt hodie dici Militares, coequavit urbicis, ad Militiam conscriptis: quos etiam in ordinibus duxit, nihil minoris habitos; sed posteriora secula distinxerunt ordines militantium, & urbicorum, ut jam non patiantur illos sibi coequari: & (quod est arrogantius) jam qui olim Ministeriales dicti sunt, NB. nunc ambiunt dici Nobiles. Sed coarguit eorum superbiam usus Principalium Scribarum, & omnium recte discernentium munera graduum singulorum. Primi enim Barones inter Nobiles deputantur, inde Liberi Domini, postea Comites, inde Duces, quos appellat Papa Nobiles Viros. Quid patitur Ministerialis, ut in hac Nobilitatis appellatione coequari quærat Duci? Et l. 1. *Metrop. c. 2.* dicit porro: quod Decimæ in manus Principum pervenerint, inde a Principibus transferunt in Ministeriales, qui nunc Militares appellantur. Eriam sublimius nomen ex Ministerialibus nunc aucupantur, Nobiles sc. dici volunt, cum tamen NB. infimus Nobilium gradus sit in Baronibus &c. CRANZIO ex Veteribus adstipulantur STUMPFIVS *Chron. Helv. l. 4. c. 29. pag. 312. b. it. p. 313. b.* & MÜNSTER. *Cosmogr. l. 3. c. 20.* Et ex Neotericis Illustris ab ETBEN *Scriptor. suor. pag. 894. §. 34. in fin. verb.**

duobus & pluribus abhinc seculis Equestris ordo nondum Nobilis erat, sed illi soli, qui alias Illustres audium, Principes puta, Comites, Barones &c. Fürsten und Fürstinäsig, Graffen, Herrn, Hohe oder Herrn-Stands-Personen. Add. COCCEL. *Dissert. de Potest. Stat. Imp. circa Dignit. cap. 2. §. 32.* SCHILTER. *de Prærogat. Com. Imp. §. 12. pag. 14.* Antiquissimis etiam Carolingorum temporibus nostri Ministeriales erant Pagen-fes, atque ita sub Jurisdictione Comitum, & quidem, ut ajunt, active & passive. Tempore belli quoque Comitibus tanquam Capitaneis morem gerere tenebantur, de quo mox plura. LEHMANN. *Chron. Spirens. l. 2. c. 17. p. m. 86. b. circ. fin. it. c. 19. p. 94. b. in med.* Add. hICHEROLD. *LL. Francic. L. IV. in addition. c. 3. p. 230. it. c. 7. p. 322. verb. aut per Comitem.* Sic v. gr. Ministeriales de Waldsee adhuc anno 1191. ad Ducatum Sueviæ ita pertinebant, ut de conditione sui Juris nulli nisi Duci Suevorum respondere debuerint, uti ex P. Petri Suevia Sacra refert Nobilissimus Dn. BURGERMEISTER. *in Graffen-und Ritter-Saal part. 2. sect. 22. p. 167.* Anno 1354. cum Rex Carolus IV. Conventum solennem Principum Moguntia haberet, pacem omnes jurare compulit, per universum Germaniæ Regnum firmiter servandam, maxime in Francia Orientali, in Bavaria, in Austria, in Suevia, in Wetteraugia, & in Hassia, &c. omnes quoque Principes, Duces, Marchiones, Comites, & Barones totius Regni pacem firmam in manus Regis Caroli juraverunt, promittentes, quod subditos sibi omnes & singulos NB. *Milites & Ministeriales* ad pacis observantiam velint compellere, & Contemptores mandatorum juxta meritum punire TRITHEM. *Chron. Hirsaug. Tom. 2. ad annum 1354. p. m. 323.* Sic etiam anno 1499. d. 18. Septembr. Rex Maximilianus I. mandat Equitibus Nassovicis, ut Comiti Johanni Ludovico Nassovia cum reliquis subditis debitam præstent obedientiam.

## §. XXIV.

Sed inquis: cui ergo bono instituti isti clypei Militares,

res, quorum mentionem facit in primis Speculum Suevicum, si Ministeriales non fuerunt Nobiles? Respondemus: Clypeos seu Cingulos militares, die *Zeer-Schilde*, non eo fine introductos, ut demonstrent *Nobiles*, sed tantum, ut ostendant *Liberos*, sive simpliciter, sive secundum quid tales, & sic Militiæ capaces, atque hos inter die *Höchste Freyen*, die *Hoch Freyen*, die *Mittel Freyen*, qui utique simul Nobiles erant & dicebantur, und die *Unter Freyen*, *Landsassen*, und *Bürger*, qui licet gregarii Milites fuerint, tamen etiam κατ' ἐξοχήν Milites vocabantur, siquidem servi, proprie sic dicti, a Militia excludebantur. *L. ii. ff. de Re Militar.* & bella olim, non ut hodie per militem mercenarium & conductitium, potissimum ex vulgo ignobilium hominum fortuito collectorum, virtutis & fidei parum perspectæ, constante, sed plerumque per Duces, Comites, Barones, & sic Nobiles, plenissimeque Liberos, item per Ministeriales, & secundum quid liberos homines gerebantur, Auctor Actor. Lindaviens. in *Docum. lit. W. W. p. 597.* Cui junge Dn. BVRGERMEIST. d. l. *sect. 24. pag. 189. ZAS. l. 2. Consil. 1. n. 26. verb. Duces & Comites sunt milites.* Per liberos homines autem intelligebantur provinciales, sive Landsassii, *Ministeriales*, seu Milites in pagis habitantes, LVDEWIG. *de Jur. Clientelar. in præfat. p. 12. it. sect. 3. c. 2. pag. 151. lit. e. in not.* Item Urbici Milites in Civitatibus, die *Frei-Bürger*, ad septimum & ultimum clypeum militarem pertinentes, & qui aque ac sexti cinguli Ministeriales *Milites* fuerunt, de quibus agit LEHMANN. *Chron. Spir. l. 2. c. 19. verb. Frei-Bürger sind unterschiedlich* &c. add. CONRING. *Exerc. 3. §. 83. verb. ex Henrici I. instituto nonus quisque ingenuus (secundum quid scil.) in urbem concessit, soli enim Ingenui ea tempestate militabant.* Et hi milites ab Imperatore Henrico Aucupe in Civitatibus passim collocati progressu temporis ab eo pago, a quo sustentabantur, nomina sumserunt, atque simul ab his Patricii in urbibus prognati per plurimi. Patriciorum certe originem hinc deducit BYNTING. *Chron. Brunsvic. fol. 22.*

quos a vicinis pagis nomen sumfisse ait, uti sunt eidem Brunfuicenses Patritii a *Peine*, a *Fechelt*; Hannoveræ Patri-  
 cii ab *Anderen*, a *Lüde*, a *Winten*; Eadem de Thuringiæ  
 Nobilibus passim produnt Annales. SAGITTAR. *Histor. Go-*  
*than. ibique Supplem. 2. Tenzelii pag. 19. & 20.* SPANGENBERG.  
 im *Adels-Spiegel L. XI. c. 30. pag. 355. verb. und daher ka-*  
*men die Geschlechter in den teutschen Stätten, welche ge-*  
*meiniglich von den umbliegenden Dörffern und Flecken ihre*  
*Geschlechts-Nahmen bekommen* &c. BETER. *Specimin. Jur.*  
*German. l. 1. c. 12. S. 4. Add. ALBINI Meißnische Chronic.*  
*tit. XI. pag. 157. Et sic, si & nos conjecturis aliquid dare*  
*vellemus, Gunterodios Francofurtenses forsan a Vico Unte-*  
*rath, ex altera Mœni ripa sito, Holtzhausios ibidem a pago*  
*Holtzhausen in Wetteravia, nec non Glauburgios a Vico Nas-*  
*sovico Gleiberg prope Gießam derivare possemus, sed ta-*  
*men nihil apodictici hic inferre licet; Id autem negari*  
*nequit, præcipuas Urbes originem debere Villis Regiis,*  
*quæ mœnibus cingi, ibidemque milites in turritis ædificiis*  
*(qualia adhuc hodie passim in urbibus cernuntur) domici-*  
*lia habere cœperunt, qui deinde ab hujusmodi Burgis Bur-*  
*gerii vel Burgenses, Bürger vocati sunt, MICHAEL. PRAVN.*  
*von den Adlichen Geschlechtern in den Reichs-Stätten*  
*c. 7. n. 92. p. 38. ut & pag. 50. SPELMAN. Glossar. voc. Bur-*  
*garii. Hi Burgarii vel Burgenses postea non tantum instar*  
*Liberorum, & Nobilium, ut & aliorum Ministerialium,*  
*Chartas signarunt, prout diversa hic producit exempla*  
*PFFEFINGER. ad Vitriar. Tom. 2. l. 1. t. 20. pag. 855. b. Add.*  
*INNOCENT. III. Epistol. Tom. 2. pag. 590. AVB. MIRAEVS*  
*l. 1. Donat. Belgic. c. 70. p. 141. it. c. 116. p. 237. sed & omnes*  
*Civitates Imperiales Aristocratia, & quidem hereditaria,*  
*gubernabant, LEHMANN. Chron. Spir. l. 4. c. 11. p. m. 303.*  
*verb. daß dergestalt anfänglich in denen freyen Reichs-*  
*Stätten ein lauterer Aristocraticus oder Optimatum Status*  
*gewesen. Nam plebeji, qui a militibus distincti erant, ar-*  
*tibus manuariis vacarunt unice, neque temere ad Guber-*  
*nacu*

nacula Reipublica adspirare potuerunt, ignari Linguae Latinae, qua tunc negotia omnia transigebantur; Enimvero militibus Urbicis, qui Germanice dicebantur die *Münzer* oder *Zausßgenossen* LEHMANN. *Chron. l. 4. c. 14. p. m. 320. b.* superbe tandem & immoderate se gerentibus, factum est, ut ista Aristocratia hereditaria in Tyrannidem degenerantes seculo XIV. fere omnes per universam Germaniam abolita, & in earum locum Aristocratia Electitia praecipue per Carolum V. in Civitatibus non paucis reducta fuerint. HERT. *Vol. 1. Opuscul. Tom. 2. pag. 129. § 130.* Antea vero hi milites urbici, non secus ac provinciales, etiam in Torneamentis seu Militaribus exercitationibus, atque imaginariis pugnis, seculo inprimis XI. tot solennibus tantoque apparatu celebratis, vid. GVNDLING. *Herr. Auc. §. II. p. 134. § 142.* comparuerunt, de quo plura exempla videtis apud PRAVN. *d. l. c. 8. n. 161. seqq.* Cum autem postea etiam plebei in ordinem Senatorum Urbicorum reciperentur, Milites Bavariae, Franciae, Sueviae & qui ad Rhenum habitabant, anno 1481. Heydelbergae constituerunt, quod Militares Cives ad Torneamenta amplius admitti non debeant, nisi Juri Civitatis renuncient, sique postea rursus Cives fieri contingat, quod in perpetuum a Torneamentis exclusi esse debeant, quae Constitutio in illis provinciis Milites certatim e Civitatibus evocavit. SCHENCKING. *defens. 1. Erbmannian. part. 2. p. 80. b.*

## §. XXV.

Et dum seculo XIII. Fridericus II. cavit, ne cui militare, vel arma portare liceat, nisi qui de militari genere sit, 2. *Feud. 27. §. 5.* HEIDER. *Act. Lind. d. l. § pag. 597.* Speculum Suevicum, quod eodem seculo lucem vidit, his vestigiis inhærens nihil aliud disponere vel statuere voluit, quam 7. Classes, Ordines, seu Clypeos militares, ita ut hæc quidem propositio vera: *quod omnes Nobiles* (servata tamen debita differentia inter Capitaneos & Gregarios) *fuerint Milites*, sed neutiquam convertibilis sit, *quod nimirum*

rum omnes milites fuerint Nobiles; sexto & septimo scil. clypeo Militari a Nobilitate excluso. Equidem Glossæ in Speculum Saxonicum conscriptæ clypeos militares, tanquam signa & characteres Nobilitatis interpretantur, sed quemadmodum hæ Glossæ longo post tempore compilationem Speculi secutæ fuerunt, HOFFMANN. *Specim. Conjectur. Politicar. de Orig. & Natur. LL. German. period. 5. sect. 1. p. 109. lit. b.* Ita mirum non est, hoc ævo sexti Cinguli milites non amplius Ministeriales, sed Nobiles appellari, utpote de quo jam CRANZIVS, uti supra evictum, maximopere conquestus, rerumque Status, ut infra patebit, jam mutatus erat.

## §. XXVI.

Quoniam itaque satis superque probatum esse putamus, quod Ministeriales tempore Carolingorum, ut & Saxonorum & Suevicorum Imperatorum non fuerint Nobiles, sed Nobilium Ministri & Servi, ita adhuc superest, ut doceamus, quod etiam Ecclesiis & Cœnobiis sua præstiterint servitia; Id autem facili negotio expediri potest, si ex tot exemplis saltem duo sequentia allegamus, Ministeriales nempe Ecclesiæ Bambergensis, de quibus videatur LVDWIG. *Scriptor. Bamberg. Tom. 1. pag. 289. verb. Hæc est Justitia Bambergensium Ministerialium.* Et Ecclesiæ Frisingensis, de quibus Conradus II. anno IIII. constituit, ut ejus libertatis participes esse debeant, cujus Ministeriales Regni & cœterarum Ecclesiarum participes essent, HUND. *Metrop. Salzburg. Tom. 1. pag. 197.* Sed quod Ecclesiæ & Monasteriorum Ministeriales non unius generis fuerint, id non solum testatur, MATTH. *de Nobilit. L. 4. c. 23. pag. 1073.* Sed etiam ipsa experientia. Nam Viri Nobiles v. gr. nisi & Nobilitati & Libertati (quod tamen vel plane non, vel rarissime factum erit) expresse renunciaverint, status sui mutationem per ejusmodi Ministeria, quæ Deo ejusque Sanctis devovebant, neutiquam patiebantur. Ita de Carolo M. recensetur, quod se fassus sit Vasallum S. Dionysii, censu quot-

quotannis soluto MATTH. d. l. pag. 1083. Anno 1050. Berta, Nobilis & Ingenua, caput suum liberum Monasterio S. Martini Ultrajecti hac conditione & lege donavit, ut singulis annis II. denarios sponte sua solvi, cœterum vero ipsa cum successoribus semper libera esse voluerit, HEDA de Episcop. Ultraject. p. m. 118. & 119. ibidemque BVCHEL. in not. sub lit. c. pag. 126. ubi videlicet plura exempla. Eodem seculo Richenza, Regina Poloniae, Comes Palatina Rheni, cum esset Ingenua seu Nobilis, se suosque posteros Ecclesiae Colonienſi ad Sanctas Virgines sub duabus denariatis ceræ quovis anno præstandis, in servitutem dedit, ita tamen, ut cœteroquin sui juris, liberique arbitrii esse declaraverit TOLNER. Cod. Diplom. Palat. & quidem Diplom. 36. Sic porro ex Rudolphi I. Imp. Majoribus Wernharius Comes de Habsburg, se cum conjuge, filiis & filiabus, in potestatem & servitium, Jus & proprietatem Cœnobii Murenſis abdicavit, LVDEWIG. Tom. 2. Scriptor. Bamberg. in Orig. Comit. de Habsburg. pag. 473. Ita & Comes quidam Rudolphus de Habsburg fuit Ministerialis Abbatis S. Galli Autor. Actor. Lindav. p. 599. Quis autem hoc vel somniare posset, ut propterea Rudolphum Imperatorem ex Ministerialium profapia ortum fuisse sibi persuadeat? Nam quo minus illi summi Ministeriales Imperii, de quibus supra actum, & qui Sacrae Casaræ Majestati in Aula seu Curia solenni sunt a servitiis, clypeum militarem statumque suum mutant, eo minus certe & illi mutaverunt, imo ne levissimæ quidem servitutis notam sibi inusserunt, qui se suosque Divinae Majestati ex mero religionis zelo devoverunt.

## §. XXVII.

Servitia vero, quæ Ministeriales Imperatori, Nobilibus, Ecclesiis, Cœnobiisque præstiterunt, fuerunt denique juxta nostram descriptionem Palatina, seu Aulica, & potissimum militaria, ita quidem, ut Viri Nobiles militum primorum, & Capitaneorum, seu Ductorum 1. Feudor. 1. Ministeriales autem gregariorum locum habuerint. GVNDLING.

LING. *Henr. Aucup.* §. 21. pag. 137. & 138. STRUV. *Hiflor. Jur.*  
c. 8. §. 10. p. 700.

## §. XXVIII.

Atque his Ministerialibus more Germaniæ antiquo non annuæ pensiones e Camera Principis, sed beneficia congrua pro cuiusque modo, & officii ministeriique varia conditione constituebantur, quibus proinde illorum quoque gradus ac ordines dignoscebantur, uti mos iste adhuc permanfit in ordine Ecclesiastico, dum Jure Canonico cuique officio congruum beneficium assignatum est. COCCII. *Difsert. de Potest. Stat. Imp. circa Dignit. c. 2.* §. 22. Idque fiebat ob æris in Germania penuriam LVDEWIG. *de Jur. Clientelar. German. in præfat.* §. 9. Miles vero noster mercenarius, quem hodie habemus, potissimum Maximiliani Imperat. temporibus frequentior esse cœpit. HERT. *Vol. 2. Opuscul. tom. 3. pag. 17.*

## §. XXIX.

Interim diffiteri non possumus, Ministeriales, fatis Germaniæ ita volentibus, (& jam seculo XIII. omni fere servitute inter Christianos ex male intellecta S. Scriptura in defuetudinem abeunte, vid. MOLLENBEC. *Not. Varior. ad Schüzii Compend. ff. pag. 46. b. n. 10.* add. HERT. *Vol. 1. Opusc. Tom. 2. pag. 164.*) seculo XIV. sensim defuisse, prout ex HUNDIO probat HERT. *Vol. 1. Opuscul. tom. 2. p. 131.* Ex eorum autem ordine non pauci jam seculo XII. & post, solenni quadam ratione militiae inaugurabantur, & dicebantur Milites, Ritter, item Equites aurati, ab aureis, quibus ornabantur, calcaribus ita nominati, qui passim in Ecclesiarum & Cœnobiorum Chartis jam Nobiles vocantur, quique suos habebant famulos, Buechte, illis ministeria in bello præstantes GVDLING. *Henr. Aucup.* §. 21. p. 138. PFEFFINGER. *Vitriar. Illustr. Tom. 2. l. 1. tit. 20. p. 881. lit. g.* Idque (ratione famulorum scil.) contigit imprimis seculo XIII. uti variis documentis probat modo laudatus PFEFFINGER. *Vitriar. Illustr. Tom. 2. l. 1. tit. 20. p. 881. lit. g.* Et hi Equites, Ritter,



Ritter, uti modo dictum, se mox pro *Nobilibus* gesserunt, *Dominosque* se appellarunt. Ita anno 1333. Daniel de Bouchout, Miles, vocatur *Nobilis & Dominus* apud MIRAEVM l. 1. *Diplom. Belgic. pag. 207.* Item *libr. 2. pag. 361. §. 407.* Add. HVND. *Tom. 3. Metrop. Salisburg. pag. 432. verb. der veste Ritter, Herr ic. und der Ehrbare Knecht in diplom. de anno 1378.* Imo hi Equites reliquis sui ordinis *Nobilibus*, simpliciter ita dictis, præferebantur, de quo conf. *Recess. Imper. de anno 1500. Tit. 22. von Uebermäßigkeit der Kleider ic. §. 7.* ubi *Nobiles* diserte ab *Equitibus* separantur, nec quoad vestiaria privilegia eodem cum his habentur loco. Hinc etiam a dictis *Equitibus & famulis* descendit illa toties in *Recessibus & Constitutionibus Imperii* occurrens formula: *Ritter und Knecht*, ita ut per posteriores, sive *Knechte*, *pedites* intelligi, non sine *ἀνισονομίας* vitio sibi persuaferit Dn. BETER. *Specim. Jur. German. l. 1. c. 3. §. 11.* Ordini enim *Equestri* præcipue semper assignata erat *Militia Equestris*, ac ante trecentos circiter annos *Exercitus* fere *Equitatu* constabat HVGO *de Statu Region. Germ. c. 4. §. 23.* MTLER ab EHRENBACH. *Stratiolog. Germ. Imp. c. 1. §. 14.* Dum itaque *Leges* semper loquuntur secundum id, quod fit ἐπὶ τὸ πλεῖστον l. 3. ff. *de LL.* hinc etiam *Nobiles* nostros non a *peditatu*, sed potius unice ab *Equitatu* denominare debemus.

## §. XXX.

Postquam vero non solum *Ministeriales* in hunc ordinem solennem *Militum* referebantur, sed & *Reges, Principes, Comites, & Liberi Domini*, quemadmodum anno 1184. *Friderici Barbarossæ Filius, Henricus*, factus est miles, in maxima gloria & honore, ut inquit ALB. STADENS. *Chron. ad d. Anno 1184.* Et *Wilhelmus Comes Hollandiæ* ante *Coronationem* in *Equitum* numerum anno 1247. solenni ritu cooptatus fuit, cum antea duntaxat *scutifer* esset, vid. *magn. Chron. Belg. apud PISTOR. pag. 244.* Item anno 1057. quidam nomine *Starckhere*, *Comes*, fuit *Miles Reginæ Poloniæ TOLNER. Cod. Diplom. §. quidem diplom. 33.* Et anno

1209. Ludovicus, filius Galliaë Regis Philippi, Miles creatus D'ACHERT *Spicileg. Tom. 2. pag. 790.* Sic & hujus Ludovici frater nondum miles fuisse dicitur, cum desponsaretur, D'ACHERT *d. l. Tom. 9. p. 643.* Idcirco facile exinde judicari potest, quod hac ratione dignitas nostri ordinis Equestris indies majus incrementum ceperit, accedente inprimis & hoc, quod ipse quoque una cum Viris Principibus ad solennitates Torneamentorum admitteretur, ita quidem, ut jam ad Nobilitatem, licet inferiorem, liberrimus aditus patuerit, prout etiam hæc distinctio inter Nobilitatem superiorem & inferiorem fœtus est recentioris avi. SCHILTER. *Instit. Jur. publ. l. 1. t. 5. §. 4.*

## §. XXXI.

Cum autem insequentibus temporibus reliqui ex ingenua plebe ad hujus inferioris Nobilitatis gradum sibi etiam viam patefacere, & ex hoc vel illo merito Nobiles creari prætenderent, factum est, ut Cæsares, Reges, & Principes & horum votis annuere, atque varia ejus rei diplomata & privilegia ipsis concedere non dubitaverint, quamquam & nonnulli citra tale privilegium Jus sibi in quibusdem locis tribuerint; nam evenire solebat, ut Nobiles ipsi prædia sua vel feuda aliis ex plebe & vulgo indulgerent, qui progressionem facta, eoque titulo etiam Nobilitatem sibi vindicarent. Quo ex fonte infinita Nobilium profluxit multitudo, uti ex Guillimanno *de rebus Helvet.* refert HERT. *Vol. 1. Opusc. Tom. 2. pag. 485.*

## §. XXXII.

Interea & omnes hi Nobiles partim plus quam immemoriali præscriptione, partim etiam Privilegiis Cæsarium, Regum & Principum hodie satis tuti sunt, nec est, quod ullam quæstionem Status formident, adeo, ut & in ipsorum heredes Nobilitas semper transeat, non quidem jure successionis, aut per modum transmissionis, sed immediate ex ipsa Cæsaris, Regis & Principis concedentis voluntate, sicut videmus, quod jam tum vivo patre filius Nobilis sit, sicque

que privilegio hoc non demum ex Jure hereditario gaudeat, Illustr. quodam Camera Imper. Assessor. MAVRITIVS de Nobilit. §. 27. Et hæc eo magis obtinent, si liberi & Nepotes etiam novorum hominum, Insignia, a Cæsaribus clementissime præscripta, non interrupta temporum serie adhibuerint, officiisque honoratoribus functi fuerint, præsertim cum & solis Reipublicæ officiis Nobilitatem ab origine & sua natura jam tum inesse, Cocceji solidas rationes hic comprobavit Perillustr. Dn. de LVDOLPH. de Jur. Feemin. Illustr. sect. 1. §. 10. p. 26. cui ex Veteribus adtipulatur, STVMPFFIVS Chron. Helvet. l. 4. c. 39. pag. 311. 312. 313. & 314. MÜNSTER. Cosmogr. pag. 368.

## §. XXXIII.

Seculo XV. & XVI. alia species Nobilitatis, Gradus nimirum Academicus, in tanto fuit pretio, ut & Nobiles inferioris ordinis eum nequiquam recusarint; Sic Uriel de Gemmingen fuit J. U. D. Vide GVALTER. seu Jani Gruteri Chron. Chronicor. tom. 1. pag. 1426. Sic etiam Florentius de Venningen fuit primus Advocatus Camera Imperialis, cum anno 1495. summi hujus Judicii Francofurti in Domo Braunfelsiana initium fieret GVALTER. d. l. tom. 2. p. 445. Adde Georgium a BREITENBACH, non minus Juris Professorem, quam imaginibus clarum, ERASM. Epist. 517. Quin hæc dignitas Doctoralis ipsa Nobilitate simplici honoratior, & Equestri æqualis est. Conf. hic d. Recess. Imp. de anno 1500. tit. 22. §. 5. & 7. verb. die von Adel, die nicht Ritter oder Doctores seynd.

## §. XXXIV.

Jam adhuc recenferi & explicari deberet, qui seculo XIII. & post fuerint Scutiferi, Armigeri, atque hi quotuplices? Sagittarii, Lanceati (unde descendit vocabulum Lanß = Knecht) famuli, satellites, milites simplices, glavea muniti, seu Gläffen, Equitantes, Reysige Knechte, Einspännicher, &c. sed hæc & alia plura, si Deus vires & otium indulget, in aliud tempus reservamus, hoc tantum monentes, quod ordo noster Equestris Germaniæ ex maxima parte adhuc hodie sit mediatius; Immediatus vero, qui est in Franconia, Suevia, & Tractu Rheni, secundum communem opinionem, ortum suum debet tempori interitus Ducalis Domus Hohenstaufenis,


liquidem extincta hac familia, terræ Franconiæ, Sueviæ, & Rheni in plures Episcopatus, Principatus mediocres, Abbantias, Comitatus, & Civitates divisæ fuerunt, atque sic publicas has conversiones (ut fieri amat) etiam privatarum rerum vicissitudines insecure sunt; cum e contrario in magnis illis Territoriis clausis, ut: Austria, Bavaria, Saxonia, Pomerania, Marchia, Hassia, & aliis, Medietas, ut sic dicamus, fixas retinuerit sedes, nec ibidem Equitum ordini ad pleniorum Libertatem aspirare hætenus licuerit, frustra id etiam quondam tentante Wilhelmo Grumbachio, PFEFFINGER. *ad Virriar. Tom. 2. libr. 1. tit. 20. §. 9. in not. a. pag. 808. HERT. Vol. 2. Opuscul. Tom. 2. pag. 44. ubi & alias incrementi Nobilium rationes assertæ haud forte contemnendas. Add. WEGELIN. Civit. Lindav. Prærogat. Ansiguit. pag. 179.*

## §. XXXV.

Tandem & id ex omnibus, quæ hucusque dicta sunt, prono fluit alveo; 1.) multos scil. Nobiles nostros, si non plerosque, ex classe Ministerialium descendere LEIBNIT. *Scriptor. Brunsvic. Tom. 2. in præfat. pag. 24. PFEFFINGER. Virriar. Illustr. Tom. 2. l. 1. t. 20. §. 6. lit. a. pag. 808. nec 2.) habere, nec unquam habuisse potestatem territorialem, sed omnem eorum libertatem, omniaque Jura, ex observantia, & præscriptione, legitima, ut & privilegiis legitime quæsitis potissimum pendere. RHETIVS *Institur. Jur. publ. l. 1. t. 19. §. 17. STRAVCH. Dissert. Exoter. 4. thes. 22. HUGO de Stat. Region. Germ. c. 5. §. 5. 3.) Quod non sint, nec unquam fuerint, Status Imperii, urpote voto & sessione in Comitibus carentes; 4.) Quod, sicut mutatio & abrogatio non præsumitur, sed probari debet ENGELBR. *disp. XIV. ad ff. thes. 11. BARBOS. l. XI. c. 77. axiom. 9.* Ita & hoc adhuc hodierno die firmo stetero, quod, si Princeps, vel Comes ducat Nobilem inferioris ordinis uxorem, regulariter hoc matrimonium sit inæquale, prout id more suo doctissime statuit Perillustr. Dn. de LVDOLPH. *d. Tract. de Jur. Feminar. Illustr. sect. 1. §. 9. & §. 11. in fin.* atque sic huic nostræ Tractationi colophonem imponimus, sitque propterea**

S. D. G.





Farbkarte #13

B.I.G.

*13. 12. 1740*  
*A. 47. 14.*

II k  
2540

IOACH. GE. DE PLOENNIE  
IMPERIALIS CAMERAE DVM VIVERET  
ADSESSORIS  
TRACTATIO IVRIS PVBLICI  
DE  
**MINISTERIALIBVS,**

Von dem  
**Zustand des niedern Adels  
in Deutschland.**



EDITIO TERTIA.

IENAE APVD IO. FRIDERICVM RITTERVM  
A. O. R. M DCC XXXX.

9

